UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Francisci Lamberti Avenio. in Amos Prophetam Prologus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

Visual Library

FRANCI-

ſCI LAMBERTI AVENIO-

in Amos Prophetam Prologus.

NEmo ſapientum huius ſæculi, adſpernetur huius dicta paſtoris armentarij. Nam qui fecit, ut aſi-na cui īſidebat Balaā loqueretur, per os eius quæ hic ſūt ſcripta, locutus eſt. Is tam ſublimiter de multis pro phetauit, ut īgēs omnīo ſtupor ſit. Et ad huius ſapiētiā col lata oīs ſapiētia mūdi, nō niſi ſtercus, uiliſſimū ē. Quippe quód ī eo fuerit ſapiētia quæ deſurſū eſt, cœleſtis et diuina.

Ad eius conciones et dicta expaueſcant omnes princi pes terræ, & qui tyrannidem amant. Nam eos ſtilo mi rifico, & uiuaciſſimo reprehendit. Maxime autem ſurgit in hoſtes populi Dei, itidem aduerſum pſeudoiſraëlitas, id eſt, hypocritas, atq; pſeudoprophetas. Nullus quippe eſt, ex omnium perditorum ſynagogis, quem non multa cū uehementia arguat ſpiritus domini, per hunc paſtorē.

Is quemadmodum Ionas in iudicium incredulorum ex Iſraël, miſſus eſt ad gentes Aſſyriorum, nempe ad Niniue ciuitatem magnam, ita hic armentorum ductor, in iudi-

cium

dicium pſeudoprophetarum , qui DEO reiecto in Baal & uitulis prophetabant, à paſcendis armentis, ad munus prepheticum adſumptus eſt.

Idcirco, tu quisquis es, qui cupis uere doctus fieri, diſce ab hoc ſancto DEI, quod uera doctrina à ſancto ſpiritu ſit, & ab eo quære omni ſolicitudine ſcientiam ueritatis. Ipſe quippe eſt, qui ſolus omnem docet ueritatē. Iohannis decimoſexto. Etenim ſic hunc hominem abſque literis mox eruditum fecit, ut ſi contra eum ſurgant, uniuerſi huius ſæculi prudentes, & inani Philoſophia tumidi, mox cadent à latere eius mille & decem millia à dextris ſuis, uerbis autem eius non adpropinquabunt. Pſalmo nonageſimo. Ego malo doctrinam huius paſtoris armētarij, quàm ampulloſam ſapientiam & ſcientiam, omnium pſeudotheologorum, Philoſophorum & doctorum huius mundi.

FINIS PROLOGI.

Fran-